



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Noctua.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

rat olim Britannia, tanto filios amore prosequitur, ut si unquam accidat, ut cum filiis in venatores incidat, simulatque conspecti sunt illi, pater & mater sponte accurrunt, seque ipsos venatoribus dedunt, ut ita eos à filiis aliorum avertant; *Νυκτωβη* enim non *Νυκτωβη*, in antiquis manuscriptis edicibus habetur. Cujus pietatis ergo visum est Aegyptiis, animal hujusmodi magna prosequi veneratione. In iisdem enim manuscriptis exemplaribus est, *αιγυπτιας εδοξε σεβασειν τ ζων*, non autem *συμειδεν*, ut habetur in impressis. Porro Britanni, qui, uti dicebamus, Vulcanferem in deliciis habebant, nostrum Anserem religiosum opinabantur, eoque abstinebant. Nam cum de moribus eorum Caesar loqueretur, eos dixit Anserum cibo non vesci, perinde ac etiam neque Lepore. Verum istud olim.

Anser olim  
religiosus  
Britannus.

## DE NOCTUA. CAP. XII.

Reliquum est, ut & Noctua, & aliarum avium, quas promisi, significata prosequamur, quae cum nostrates sint, Latinis, & Graecis plurimum innotuere: quare de his longe certiora sumus alaturi.

## MINERVA. CAP. XIII.

Primarium Noctuae significatum est, ut Minerva per hieroglyphicum ejus intelligatur, de qua ipsa Glaucopidis etiam cognomentum sumpsit: sive propter caesum oculi colorem, quo qui praediti sunt, praestantioris & acutioris ingenii feruntur esse: sive propter lucubrandi, contemplan-

He & No-  
ctuidae, ut  
ait Ovidius,  
Nocte so-  
lant, sero-  
trahunt a  
tempore  
nomen.

Meminit  
Cicero ad  
Q. Fratrem  
& ad Tor-  
quatum.

Plut. in  
eius vita.

dique munus, quod animi vis nocturni potissimum temporis silentio vegetatur. Qua de causa Dracones etiam Gorgoneum quippe caput, aegidi adsculpebantur. Acutissimum enim esse Draconi visum ex eo potissimum apparet, quod ab intuendo illi nomen, ut in Serpentis Commentario copiosius. Addunt alii tertiam quandam causam: quia nusquam Noctuarum vis major, quam Athenis, ubi dea ipsa praecipue colebatur, unde proverbium illud emanavit, *γλαυκας Αθηναιφερ*: sive id ob Noctuarum copiam, sive ob numerorum multitudinem, qui Noctuae signum habebant. Acerbe vero Demosthenes in hujusmodi Noctuae cultum lusit, cum è carcere populi Atheniensis elapsus fugeret: nam ad Palladis arcem subinde respectans, sublatiis manibus: *ο Παλας*, inquit, *urbiun dominu* cur tribus infausissimis bestiis delectaris? Noctua, Dracone, & Populo? ex una forte caecitatem, ex Dracone livorem animorum, ex Populo instabilitatem & inconstantiam intelligens.



## SAPIENTIA. CAP. XIV.

Sane vero cum Minerva consilii prudentiaeque Dea diceretur, aliquot in ostentis Noctua sapientiae signum fuit, ut quae in Hieronis privati adhuc hominis hasta confedisse conspecta est, prius bello quod iniit: nam aruspices hinc eum cautum in consilio futurum praedixere, id quod sapientissimum totius ejus vitae regimen comprobavit.

## VANAE SAPIENTIAE STUDIUM.

## CAP. XV.

Sed quantum pertinet ad doctrinae studium lucubrationesque ipsas, interpretationem ejusmodi non respuit Basilius, sed eos intelligi vult, qui vanae sapientiae studiis incumbunt. Nam, ut illius aspectus noctu quidem valet, Sole autem illucescente non mediocriter obscuratur, ita istorum hominum mens acutissima quidem ad inanum rerum cognitionem esse videtur, hebetissima vero caligineque oppleta, ad veram lucem hallucinatur, neque liquido quicquam intueri potest. In hanc fere sententiam Hierosolymitanus Hesy chius Noctuae comedi prohibitum ait: quia lucis beneficio nocte polleat, interdiu caecutiat: ex quo illi debeant intelligi, qui legis contemplatione & scientia plurimum gloriantur, Evangelicam autem claritatem ferre non possunt.

No.